

## Pastoris verba

*PALAESTRAE LATINAЕ quae veterum Romanorum ac Matris Ecclesiae linguam summo opere fovit atque propagavit studium et benvolentiam nostram significamus eique peramanter benedictionem impertimur.*

† ARCTURUS Ep.

5 - V - 1946

# PALAESTRA LATINA

Excmo. ac Rmo.

D. Arcadio Tabera

C. M. F.

*Exsultans propera sanguine martyrum  
Instaurata novo, splendida civitas  
Barbastrensis, adest jam nimium diu  
exoptatus Episcopus.*

*Tuque intra impavidus, Pastor amabilis,  
Vinctus juridicis tempora laureis,  
Praesertim aureola quam tibi contulit  
Virtus nescia subsequi.*

*Nomen sidereum symbolice refers:  
Sic caelo positus lumine fulgeas  
Doctrinae populis, ut simul omnibus  
Sis dux et via civibus.*

*Pastorem egregium constituit Deus:  
Te exspectant cupide ne pereant fame  
Agri; duc bona per pascua, crediti  
Faetus forma tui gregis.*

Henricus MARTÍA, C. M. F.

Ordinarii et Superiorum permissu

# RDO. P. JOSEPH CARRILLO

RECTORI COLLEGII SERAPHICI CEHEGINENSIS (MURCIAE)

NATALI DIE FAUSTO RECURRENTE

## GRATULATIO

*R*ite jam festum renovante sole,  
Cogintur laeto nova nunc propago  
Impetu Patris, sitiens amore,  
Promere laudes.

*P*ondere et curis nimiis onuslus  
Hinc super clara citbara sedebam,  
Mentis emulcens placida quiete  
Intima nostrae.

*F*anuam tandem resero labori,  
Pulverem excussi fidibus situmque,  
Lesbia ut chorda modular Parenti  
Carmen amoris.

*O*mibi semper veneranda fila  
O lyrae dulces modulos canent  
Reddite, et cantum sociate toto  
Orbe sonantem.

*S*erta, si Patris celebrem potenti  
Voce nunc laudes, redimire frontem  
Ambio nostram, simul atque Olympi  
Tangere culmen.

*E*n erit digne tua qui canoro  
Gesta nunc plectro poterit referre  
Quisve tam carum modulatus unquam  
Carmine Patrem?

*C*urribus campum studii superbis  
Candidum athletae moveant triumpho,  
Clarior cunctos tamen ipse vincis,  
Vincis honore!

*A*dvolans ducat rota prompta gyros  
Pulveri invictum rutilans quadrigam  
Inclito, currum valide tenentem  
Vincis amore.

*R*oscidum ut gaudet, veniente Phaebo,  
Ver et effulget nitido colore  
Gloriis splendes, Pater, et perenni  
Ore teneris.

*R*espice ut surgant celebranda magni  
Saxa Collegi celeri volatu,  
Lucidae turres bilaresque tollant  
Culmen ad astral

*I*sta tutela monumenta sacra  
En tua surgunt, pariterque crescunt  
Arbor ut late, properante vere,  
Braccia pandens.

*L*ustrum in excelsum meliusque semper  
Jam Deo gratum cupidus litasti  
Undus Aeternae Triadis minister  
Semper in aevum.

*L*itteris Romae sapiensque claris  
Hellados linguam, docuisti honore  
Gloriam et nostri cumulas perennem  
Ordinis almi.

*O* triumphali rutilans corona  
Splendidis caeli domibus, benigne  
O Pater, filii decies amantis  
Accipe laudes.

*Alphonsus ORTEGA*  
*Alumnus Collegii Seraphici Ceheginensis, Murciae*

*Idibus Aprilibus, an. MCMXLVI*

SUMMARIUM PALAESTRAE L.: Exmo. et Rmo. A. Tabera, Martija. — R. P. J. Carrillo, Ortega. — Pastorem habemus, Mesa. — Ut latine scribamus... Ciprotti. — De cena et prandio, Mir. — Nova et vetera, Mir. — De Lucretio II 42-43. Orib. — Commercium epistulare, Aenula-Mir. — Ego... non sum ego, Pasquetti. — Bibliographia. A. P. — Exercitationes Scholares. — Compositiones vertendae. — Curiosa et jocosa, Ortiz, Carra, Miales, Peldán.

## PASTOREM HABEMUS

**L**EKTORIBUS PALAESTRAE LATINAЕ, nobis quadam communitate sensuum conjunctis, nuntium apportamus laetissimum et jamdiu exoptatum: dioecesim scilicet Barbastrensem, duo fere lustra Pastore orbatam, novum Administratorem Apostolicum recepisse eumque et scientia et virtute et operibus praeclarum: hic vero est Excmus. Dominus Arcturus Tabera Cordis Mariae Filius.

Natus est apud Barco de Avila, Castellae vicum, die 29 octobris anni 1903. In flore aetatis primo, postquam ad litterarum studia, miro quo gaudet ingenio, totum adjecerat animum, votorum sponsione Deo animarumque saluti consecratus, nomen dedit Cordis Mariae Filiis, die 15 augusti an. 1920. Philosophiae ac Theologiae in Collegio Maximo Segedae (*Zafra*) septem annos vacavit, quibus transactis in Urbem profectus est ut Juris cognitionem assequeretur ampliorem. Quod quidem cumulate assecutus est, nam apud Pontificiam Universitatem Lateranensem, utriusque Juris, romani scilicet et ecclesiastici, lauream adeptus est, eamque maxima cum laude.

Fruitus vero illius studii juridicae disciplinae repositi perstant apud *Commentarium pro Religiosis Romae editum, Ilustración del Clero*, cuius moderator fuit,



EXMUS. AC RMUS. P. A. TABERA, C. M. F.  
cum Rmo. P. Superiori Generali et aliis Flaviobrigae (*Castro-Urdiales*)  
convéntu litterarum adstantibus

et *Vida Religiosa*; quam pro Sororibus ac Religiosis laicis edendam curavit, sollerter rexit, exornavit scriptis.

Neque id tantum: anno 1933 Hispaniae legatus adfuit clarissimo illo Juris Romani conventui Bononiae habito; anno vero 1934 Conventui Internationali Juris in Urbe congregato in quibus et longam et doctam habuit tractationem de jure Justiniani Imperatoris.

Romae cum degeret, ab anno 1939 ad 1941, plurimum adlaboravit in Archivo Secreto Congregationis de Propaganda Fide eo consilio ut documenta perquireret ad codicem Juris Orientalis redigendum, eoque moderante codices itali mox promulgandi, —nondum tamen propter bellum promulgati—, in hispanum sermonem conversi sunt.

Praefecturae Generali studiorum in Congregatione Missionariorum a secretis praefuit, eamque in Hispania sapienter rexit ac moderavit. Litterae, eo auctore, novo ordine instruetae sunt ac, pluribus coodunatis magistrorum conventibus, impensisime fuitae.

Quod ad nos attinet, manifestum est, et sane pluries, ingenuas litteras ei cordi esse. Nam praeter quam quod in ejus scriptis elucet quaedam latinae linguae facilitas et elegantia, bonarum artium ingenuarumque litterarum cultum apud nostrates maxime fovit, eoque moderante Alabonae et Flaviobrigae (*Castro Urdiales*) bis convenerunt praeceptores linguae latinae qui de rebus latinis ac de recta ratione liberales litteras tradendi pertractarent.


Erga PALAESTRAM LATINAM qui sint ejus sensus, quae consilia, quantum auxilium, praecclare intellegimus, grati recognoscimus, nunc palam declaramus. Benignissima illa verba quae cum photographia ad nos liberaliter misit, quaeque ornameinto PALAESTRAE sunt, gratissimo accepimus animo, quemodo sincere promimus.

Sit ergo felix, faustus fortunatusque adventus Praesulis Excellentissimi in Dioecesim Barbastrensem, tot martyrum Claretianorum, tot sacerdotum et vel ipsius clarissimi Pastoris caede cruentatam et nobilitatam!

Dominus conservet Eum!

CAROLUS E. MESA, C. M. F.

Matriti, m. maio recurrente.



# Ut latine scribamus et loquamur quae sit veterum inscriptiōnum utilitas<sup>(1)</sup>

Ceterum nemo negabit nos consequi non posse ut aliqui saltem ornate ac pereleganter latina lingua scribere vel loqui valeant, nisi ante curaverimus ut quacumque ratione latine scribere vel loqui consuescant: ardua enim in omnibus rebus ascensio, difficilis optimi perfeccio et absolutio. Licet igitur optanda valde sit ac totis viribus quaerenda accurata et sine molestia diligens elegantia, ipsum tamen latine loqui et scribere est in magna laude ponendum, quamquam non tam praeclarum est scire latine quam turpe nescire.

Itaque, non ad hoc sane propositum latinas inscriptiones nobis perlegentibus, sed ut a suetis studiis mentem nostram levaremus, pluries tamen in mentem venit quanta cum tironum utilitate earum studium magis in dies pervulgari possit, in quibus varia vitae adjuncta, quae vix aut ne vix quidem apud scriptores est invenire, descripta sint (nec raro concinne, argute, venustè), ita ut nihil fere, qui ea latine significare cupiat, amplius desiderare posse videatur.

Quo autem doctiores facilius adigantur ad pretiosum hujusmodi subridium proficie adhibendum, excerpta paucissima quedam exempli gratia mihi exponere visum est, cum e lapideis illis innumerabilibus inscriptionibus, quae vel defunctorum memoriam, vel clariorum eventuum, vel operum publicorum, posteris traderneratae sunt, tum etiam e scariphatis quibus tunicatus popellus, servorum grex, puerorum turba in viis ludentium, obiter suos sensus in muris imprimere solent.

Siglis usi sumus:

CIL = Corpus inscriptionum latinarum;

De = H. Dессau, Inscriptiones latinae selectae;

Di = E. Diehl, Inscriptiones latinae Christianae veteres.

2. — De hominum virtutibus plura est invenire nostro proposito aptissima; e quibus duo, quae mihi forte occurserunt, afferam.

Probi illi juvenes, qui se uxorem ducere *casalinga* [hisp. *casera*] malle declarant, neverint iamdiu Romae laudatas esse (utique mortuas) mulieres *domisēdas* (CIL, VI, 11602, 34045).

Parentibus autem liberorum praecox ingenium jugiter laudantibus non ingratum erit nosse tales juvenes vel pueros Romae abhinc aliquot saeculis existisse; quod constat e titulo P. Scantii Juliani, cuius annos ingenium excedebat (CIL, VI, 25982), ex monumento a parentibus duodecenni cuidam Apolloniae creto, honestae puellae, bonitatis eximiae et mirae verecundiae, et ultra aetatis annos sapienti (Di, 336), et ex sexcentis aliis.

(1) Cfr. fasciculum superiorem.

3. — Hominum, virtus, quaedam, praesertim nostra aetate frequentia, quis melius descripscerit, quam Diocletianus, legem pretiis rerum venalium imponere conatus, ut immensam annonae caritatem coegeret? (CIL, III, pagg. 824 826; Suppl., pagg. 1928 s.).

Cui communis humanitatis ratio persuasit ut eorum avaritiae modum statueret, quibus semper studium est in quaestum trahere etiam beneficia divina, ac publicae felicitatis affluentiam stringere, ursusque anni sterilitate de seminum jaetura atque institutorum officio nundinari; qui singuli maximis divitiis diffuentes, quae etiam populos adfatum explere potuissent, consequentur peculia et laceratrices centensisma persequantur; quibus una est cupidus furoris indomiti, nullum communis necessitudinis habere dilectum; quibus etiam nullo sibi fine proposito ardet avaritia desaeviens, quae sine respectu generis humani, non annis modo vel mensibus aut diebus, sed paene horis ipsisque momentis, ad incrementa sui et augmenta festinant. Nec illi parcitur, qui, licet tanta avaritia non sit pollitus, tamen inique egerit, cum, habens species vidui atque usui necessarias (generi di prima necessitate, hisp. géneros de primera necesidad) post hoc statuti temperamentum existimaverit subtrahendas. Omnes igitur severe pleantur profitatori, accaparratori, et incettatori [acaparadores, monopolizadores, estraperlistas], quos vivide descriptos vidimus, omnes illae «majores maxillae», ut Petronius ait, qui, dum «populus minutus laborat», ipsi «semper Saturnalia agunt» (Satyr. 44).

Quis melius perhibere potest in xenalibus rebus, quae vel in mercimoniis aguntur vel diurna urbium conversatione tractantur, in tantum se licentiam diffusisse pretiorum, ut effrenata libido rapiendi nec rerum copia nec annorum ubertatibus mitigaretur?

Quibus rationibus motus imperator, potius quam pretia singularum rerum ubique servanda, ea statuenda censuit, quae in singularum rerum venditionibus excedere nemini licitum sit (il calmiere, hisp. la tasa). Edicit enim: Non pretia rerum venalium... sed modum statuendum esse censuimus; ut, cum vis aliqua caritatis emergere... avaritia, quae velut campis quadam immensitate diffusis teneri poterat, statuti nostri finibus et moderatura legis terminis stringeretur. Placet igitur ea pretia, quae subditi brevis scriptum designat, ita totius orbis observantia contineri, ut omnes intellegant egrediendi eadem licentiam sibi esse praecisam; non impedita utique in iis locis ubi copia rerum perspicietur affluere, vilitatis beatitudine.

Nec leviores poenae in sontes edicuntur. Nam si quis contra formam statuti bujus conixus fuerit audentia, capitali periculo subjugetur... eidem autem periculo etiam ille subdetur, qui comparandi cupiditate avaritiae distrabentis contra statuta consenserit. Hac enim ratione non civitatibus singulis ac populis atque provinciis, sed universo orbi provisum esse videtur, in cuius perniciem pauci admodum desaevisse noscuntur, quorum avaritiam nec prolixitas temporum nec divitiae, quibus studuisse cernuntur, mitigare aut satiare potuerunt.

4. — *Inscriptiones multae locutionibus praestant, quibus publicae vitae vel privatae ministeria aptissime significata habemus, aliave cum iis coniuncta. Ne tamen prolixiores simus, paucissima, nude recensebimus: il capocuoco [cocinero mayor]: supra cocos (CIL, VI, 9261), vel archimagirus (CIL, VI, 7458.8750; quod verbum tamen et apud scriptores plures legimus); il capo-operario [contramaestre]: optio officinatorum, etc. (CIL, VI, 43.44.410. 84242. 9915); il verificatore [registrador]: contrascriptor (CIL, III, 14062, V, 7213, VI, 8641.8999, XIV, 2493); il provveditore per le opere pubbliche [abastecedor, superintendente de obras públicas]: curator operum publicorum (CIL, V, 7783, X, 6658, XI, 3365, XIV, 3610 etc); l'instruttore (militare) [instructor]: exercitator (CIL, III, 3470, VI, 273.31147. 31150.31151, XI, 395; cfr. etiam Plinius, Nat. hist. 23,63,121); la Compagnia Adriatica di Navigazione: Corpus naviculariorum maris Hadriatici (CIL, VI, 9682, XIV, 409).*

Miles qui poena illa punitur, quam *rimozione* [remoción] vocat praesens lex penal is militaris (art. 29), *is est cui apud exercitum ignominiae causa ordo ademptus est* (quem militem regradatum dicit S. Hieronymus, Contra Ioann. Hierosol. c. 19); qui vero poena *degradazione* [degradación] (ibi, art. 28), miles est quem *imperator ignominiae causa ab exercitu decadere jussit* (De, 6085). Ut autem a contemnendis ad gloria fulgidos milites transeamus, promosso per merito di guerra erit honoratus gradum promotionis ob alacritatem virtutis adversus hostes et res prospere et valide gestas (CIL, III, 14416).

5. — Deversori vel tabernarum virtutes cum longe lateque praedicanter, ut e pluribus adventoribus lucrum majus fiat, haud raro ibi inesse *tutti i conforti moderni* [todas las comodidades modernas] dicuntur, vel *ospitalità perfetta* [hospedaje con todas las comodidades modernas] praestari: illud latine dicemus: *omnia commoda praestantur*, quemadmodum C. Legiannius Verus, prope Bononiam, ad balineum suum viatores acciebat; hoc autem: *omnis humanitas praestatur*, verbis usi Aureliae Faustinae, quae balneum in suis praediis non longe a Ficulnea positum his verbis laudabat. Cum autem utrumque balneum rusticum esset, et Verus et Faustina, ne quis ex Urbe proveniens minus fideret inscriptis praeconiis, plane declarabant eadem ibi esse commoda quae in urbanis balneis: *more urbico lavatur* (CIL, XI, 721; XIV, 4015). Nescimus tamen utrum veriores fuerint illae laudes, quam nostra aetate solent. Illis similis est titulus pompejanus, quo nuntiatur: *Hospitium hic locatur, triclinium cum tribus lectis et commoditatibus* (CIL, IV, 807).

Modestius loqui solent minores tabernarii seu institores: *Ebi vuole... vada da...*, seu latine: *Si quis hic sederit, legat hoc ante omnia: si quis... volet, Atticen quaerat* (CIL, IV, 1751). Nonnumquam taberna vel officina in alia civitate existens nuntiatur, ut nucerina Pompejis: *Nuceriae quaere ad portam Romanam in vico venerio...* (Notizie degli scavi d'antichità, LVIII, 1933, 294, n. 180).

PIUS CIPROTTI

(Ad proximum numerum)

# DE CENA ET PRANDIO

## (E CHARTARIO SCHOLASTICO)

Quoniam vobis, adulescentes, ea quae ad esculenta et poculenta spectant, maxime oblectant, hodie quaedam de nostris ac Romanorum cenis vobiscum colloqui statui.

Romani, ut scitis, primo mane e lecto surgebant. Orto sole, liberi, clientes, servi, parentes dominosque salutabant. Deinde hora secunda, i. e. hora fere sexta aestiva nostra et octava hiberna, jentaculum sumebant, quod e pane in lacte butyro<sup>1</sup> vel melle constabat, et caseo, olivis palmaeque pomis<sup>2</sup> seu dactylis Postea solidus decurrebat dies quo varia agitabantur negotia. Meridie, hora fere sexta, ad prandium accedebant in quo piscibus, carne interdum, oleribus, fructibus, pane vi-noque vescebantur. Deinde animum recreabant, meridianam, <sup>3</sup> exercitia gymnica et corporis lavationem in publicis vel domesticis balneis peragebant. Hora vero nona vel decima praecipuum cibum seu cenam habebant; quae initio pulmento seu pulte,<sup>4</sup> oleribus, pauca carne constabat; sed postea sumptuosior facta est et haec fere continebat: gustationem seu promulsidem<sup>5</sup> in qualitate, brassicae, napi, cardui seu cinarae,<sup>6</sup> lapathi,<sup>7</sup> asparagi, olivae, conchilia,<sup>8</sup> pisces saliti, ova obdurata, cum mulso i. e. vino melle admixto, afferebantur. Deinde fercula<sup>9</sup> quae prima, secunda, tertia cena vocabantur: in his pisces et in primis rhombus,<sup>10</sup> mullus,<sup>11</sup> murena<sup>12</sup> lupus;<sup>13</sup> caro porcina, vervecina,<sup>14</sup> haedina, bubula,<sup>15</sup> vitulina;<sup>16</sup> pullus gallinaceus, venatio ut lepus, aper, cet., quae cinnamomo,<sup>17</sup> petroselino,<sup>18</sup> aliisque herbis condiebantur.

Postea secunda mensa in qua proferebantur poma, uvae ceterique fructus, conditiae<sup>19</sup> seu liquamina,<sup>20</sup> liba,<sup>21</sup> placentae,<sup>22</sup> tremor,<sup>23</sup> gelidae sorbitiones,<sup>24</sup> cet. Qui vero luxuriose vivebant in multam noctem eomissionem protrahebant in qua vino maxime indulgebant.

In cottidianis cenis paterfamilias vel mensae assidebat vel, quod frequentius, in lecto triclinari cum amicis et convivis discumbebat; alii vero vel juxta eum vel in subselliis assidebant. Attamen mos invaluit apud laiores edendi super lectos discumbentes in primis ad hospites honorandos. In medio triclinio mensa erat quadra et ad illam tres lecti triclinares in unoquoque tres convivae discumbebant; ad laevam erat lectus imus, in medio lectus medius, ad dexteram summus; sub rei publicae fine pro triclinio suffectum est sigma seu lectus in semicirculum ductus et pro mensa quadra orbis seu mensa rotunda.

At haec omnia moris erant apud Romanos; mensam nostram hic apponamus, non ut edamus sed ut nomina singulis latina demus. Inspicie mensam: strata est. Mensa quadra manteli<sup>24</sup> mundo et albo obtecta, in unoquoque accubitu est mappa<sup>25\*</sup> ad os detergendum et digitos; sunt etiam culter ad carnem secandam, coquleare ad

(\*). Quae cursivis scribuntur litteris sunt vel accommodata novis rebus vel recens inventa vocabula.

*sorbitonem*<sup>36</sup> sumendam et fuscinula<sup>37</sup> ad olera, legumina, carnes, pisces capienda Appositum videtis et *poculum*<sup>38</sup> ad aquam, *scyphum*<sup>39</sup> ad vinum, quae ex vase aquario et lagoena vinaria<sup>40</sup> hauriuntur; nec panis deest. Prae oculis sunt vas olearium,<sup>41</sup> acetabulum,<sup>42</sup> salinum,<sup>43</sup> quibus cibi condiantur; unicuique convivae duo tresve catini<sup>44</sup> ad missus<sup>45</sup> sumendos prostant. Mensa igitur structa est, assideamus, vobisque narrabo quis *ordo mensae*<sup>46</sup> esse possit. Sunt qui initium cibi a *sorbitione*<sup>47</sup> ordiantur cum frustulis panis vel farinae decoctae vel cum *vermiculis*<sup>48</sup> aut *macaronis*;<sup>49</sup> nostra vero aetate sunt qui ad tritum Romanorum pulmentum redeant. Saepius tamen initio *gustatoria*<sup>50</sup> afferuntur, quibus fames acuatur et excitetur, cujusmodi sunt: minutalia,<sup>51</sup> concisa et salita perna,<sup>52</sup> *farcimini*<sup>53</sup> *laminulae*,<sup>54</sup> oleum *salgam*,<sup>55</sup> salsamenta,<sup>56</sup> *garum*,<sup>57</sup> quibus interponuntur acetaria e lactucis, asparagi cum ovis solidis. Gustatoria saepissime non ut primum ferculum accipi solent, sed inter cenam in mensa remanent ut convivis fas sit ultro libenterque desumere.

In cottidianis ac familiaribus cenis post sorbitionem olera inferuntur et legumina: brassicæ, cicera, phaseoli, pisa, parum carnis et piscium. Si quando fueris ab amicis invitatus primum apponentur pisces jure<sup>48</sup> madefacti ut salmōnes,<sup>49</sup> tructae,<sup>50</sup> *lucii*<sup>51</sup> aut esculenta oryzæ<sup>52</sup> *patella*,<sup>53</sup> qua summe Valentiani nostri delectantur; deinde armi<sup>54</sup> vervecini, suilla, bubula, *farcimina*; in tertio ferculo pulli gallinacei vel columbini,<sup>55</sup> perdices, lepores, capones, gallina farta: haec omnia sane esculenta edulia cum condimentis seu embammatis.<sup>56</sup>

Tandem apponuntur *bellaria*<sup>57</sup> seu mensa secunda:<sup>58</sup> caseus recens vel vetus, varii fructus: armeniaca, persica, pruna, melones, citrulli, pira recentia vel mellita, fraga vino et saccharo condita, *cydoneum*<sup>59</sup>, placentæ, liba, *lucuntes*<sup>60</sup> omnisque generis cupediae.<sup>61</sup> Cena vino abundat, sub fiuem rubrum albumque funduntur: nec exquisitum et spumans *campanicum*<sup>62</sup> deest ad propinaciones neque alii liquores<sup>63</sup> ut *coniacum*,<sup>64</sup> anisum,<sup>65</sup> Benedictinum,<sup>66</sup> *Chartusianum*,<sup>67</sup> cet. Postremum convivae humaniter ac *cafēum* invitantur et unicuique fas est *convolvulos*<sup>68</sup> *tubaci* vel *cigarrum*<sup>69</sup> *fumare*<sup>70</sup> et *fumisugio*<sup>71</sup> aut *siphunculo* *fumatorio*<sup>72</sup> uti.

#### VOCABULARIUM

- 1, manteca; 2, dátil; 3, siesta; 4, puches; 5, *fideos*; 39, macarrones; 40, aperitivo; 41, picadillo; aperitivo, entremés, primer plato; 6, alcaldesa; 7, *jamón*; 43, salchichón; 44, roncha; 45, conserva; 46, pescado en salazón, o salmuera; 47, escabeche (?), 48, salsa; 49, salmón; 50, trucha; 51, merluza; 52, arroz; 53, paella; 54, espaldilla; 55, piñón; 56, salsa; 57, 58, postres; 59, membrillo; 60, turrones; 61, golosinas; 62, champaña; 63, licor; 64, coñac; 65, anís; 66, Benedictine; 67, Chartreuse; 68, cigarrillo, pitillo; 69, puro; 70, fumar; 71, boquilla; 72, pipa.

Jos. M.ª Mir, C. M. F.

# NOVA ET VETERA



PICTURA 11.<sup>ª</sup>      SCAENA I.<sup>ª</sup>      MESSIS - AGRI ASPECTUS

1. — Agri aspectus aestate iterum immutatur. Semina sulcis commissa germinarunt; viridis herbula e terra emersit ac paulo post spicam protulit. Granum enatum est, deinde maturitatem assecutum, illudque demetere tantum restat.

2. — Flores campi se pandunt. Cyāni, <sup>1</sup> papavera, <sup>2</sup> digitales <sup>3</sup> aquabilem tritici colorem festivo ac florido corollarum nitore suffundunt.

3. — Arbores frugiferae foliis vestitae sunt, fructusque maturitate mitigati. Cerāsus <sup>4</sup> illa pulchris repleta est cerasis, <sup>5</sup> quae pueruli arripiunt eduntque magna delectatione.

4. — Grex modo in propatulo diem agitare potest. Agni creverunt iisque oves<sup>7</sup> atque haedi,<sup>8</sup> spisso vellere cōperti, effecti sunt. Quietē pascuorum herbam, bellidibus distinctam, depascunt. Haec vero pecora brevi tondebuntur ad lanam colligendam, qua vestium pannus conficitur.

5. — Pastor<sup>10</sup> [oves] quasi neglegere videtur; de nubibus tamen quae extre-  
mum caeli circulum praetergrediuntur, sollicitus est; opilio<sup>13</sup> vero, qui labris cu-  
curbitariam lagoenam<sup>14</sup> admovet, neglegentior videtur.

6. — Solis ardores aestuosissimi sunt; nam et canis<sup>15</sup> ad sitim temperandam accedit; frigidam rivuli<sup>16</sup> aquam lambit atque ranulam<sup>17</sup> terret, quae in ripae herba latitabat, haecque in puram aquam prosilit, ubi lymphaeae<sup>18</sup> erumpunt.

7. — Motacilla<sup>19</sup> ad fonticulum<sup>20</sup> perluitur, qui ex duobus saxis emānat, atque in virgultis<sup>21</sup> et leucocanthis<sup>22</sup> se occultat.

8. Segetis tempus rusticānis pueris jucundissimum est. Exsultantes se cer-  
nuant<sup>24</sup> in paleae acervo; messoribus<sup>26</sup> opem ferunt et, dum ii falcibus,<sup>25</sup>  
cote<sup>29</sup> exacutis, agrum<sup>27</sup> demētunt, triticum ipsi colligunt illudque in manipu-  
los<sup>28</sup> aut mergētes<sup>29</sup> alligant.

9. — Interdum majoribus natu conceditur ut messoria falce<sup>22</sup> flavas stipulas<sup>28</sup>  
secent, quae graves spicas,<sup>29</sup> granis onusitas, sustinent; pulsiones vero, dum armen-  
tum<sup>33</sup> regunt, quod tranquille in pratis<sup>34</sup> depascitur sub grandis tiliae umbra, bel-  
lulos papiliones maculis<sup>36</sup> deprehendunt. Non nulli in plaustrum ascendunt ut  
ordine manipulos componant, qui eis extrema furca<sup>38</sup> inferuntur.

10. — In planicie,<sup>39</sup> ubi alaudae<sup>41</sup> evolant, omnia ardore et alacritate perfunduntur. Segetibus demetendis incumbunt omnes. At dum tenuiores veteribus instru-  
mentis — falcibus, falculis, perticisque<sup>40</sup> — etiam nunc utuntur, domini locuplētes  
triticum vel secāle<sup>43</sup> machina messoria<sup>42</sup> succidere jubent. Ac, quin opus sit ma-  
nipulos in aream deducere, ibidem ingentem struem<sup>44</sup> congērunt.

11. — Tunc machina trituratoria<sup>47</sup> adducitur, quam veétrix corio volubili  
impellit; atque ita granum a palea secernit in codem, ubi satum fuerat, loco.

12. — Interdum tempore messis tempestates exoriuntur. Primum grave toni-  
trui in murmur longe exauditur, vehemens reflat ventus atque excelsas arbores gemi-  
tu nutat. Caclum ingentibus nubibus obducitur, quae gyris splendentium fulminum  
scinduntur. Pluvia et identidem grando decidit messemque demetendam oppri-  
munt.

13. — Subinde fulmen domum incendio consūmit. Sic superiore anno in  
cinerem combustum ventimōiae<sup>50</sup> teclum ac duea ex aliis comminutae.

14. — Tandem post aliquot horas, serenitas redit. In extremo caelo arcus<sup>52</sup>  
appāret atque natura suum cursum, temporis momento intermissum, recuperat.  
Rustici, qui in tuguria confugerant, laborem rursus aggrediuntur atque omni con-  
tentione elabōrant ut calamitatē, quam passi sunt, repārent.

## VOCABULARIUM

- 1 cyānus, i, m., *aciano, bluet.*
- 3 digitalis (purpurea), *digital, digital.*  
acquabilem tritici colorem festivo ac florido  
corollarum nitore suffundere, *dar sobre el  
tono general del trigo la alegre nota de sus  
corolas.*
- 4 cerāsus, i, f., *cerezo, cerisier.*
- 5 cerasum, i, n., *cereza, cerise.*  
in propatulo, *al aire libre, en plein air.*
- bellis, īdis, f., *bellorita (margarita), pâquerette.*  
praetergrēdi, *pasar, passer.*
- 13 opilio, onis, m., *pastor, zagal, berger.*  
+ lagoena cucurbitaria, *calabaza (para beber),  
gourde.*  
solis ardores aestuosissimi sunt, *el calor es pe-  
sadísimo, la chaleur est accablante.*
- 18 lymphaea (LIN.), f., *nenufar, nénufar.*
- 19 motacilla, f., *aguzanieves, bergeronnette.*
- 22 leucocanthus, m., -tha, ae, (alba spinus), *oxio-  
canta, espino, buisson d'aubépine.*  
se cernuare, *dar volteretas, culbuter.*
- 25 falx, cis (faenaria) guadaña, *taux.*
- 31 manipulus, i, m., *gavilla, gerbe.*
- 32 merges, ītis, f., *manojo, javelle.*
- 12 falx messoria, falcula, *boz, fauille.*
- 28 stipula, f., culmus, i, m., *tallo, tige.*
- 33 armentum, i, n., *ganado mayor, bétail.*  
depascere, depasci, *pacer, brouter.*
- papilio, onis, m., *mariposa, papillon.*
- maculae, arum; reticulum, *manga, red, filet.*
- 41 alauda, f., *alondra, alouette.*  
omnia ardore et alacritate perfunduntur, *reina  
la animación.*
- tenuiores, *los pobres, gente p., les pauvres gens.*
- 40 pertica, f., *mayal, fléau.*
- 42 \*(machina) messoria, *segadora mecánica.*
- 47 \*(machina) trituratoria, *máquina trilladora, ma-  
chine à battre.*
- 45 \*locomōtrix +(machina) veētrix, *locomóvil, tra-  
tor, locomobile.*  
+corium volubile, *correa de transmisión, courroie  
de transmission.*
- nutare, *hacer que se dobrén, faire plier.*
- +gyrus, i, m., *zigzag, zigzag.*  
in cinerem comburere, *reducir a cenizas.*
- \*ventimōla, f., *molino de viento, moulin à vent.*
- 52 arcus, us, m., *arco iris, arc-en-ciel.*  
recuperare suum cursum, *recobrar su vida (la  
normalidad).*
- calamitas, atis, f., *destrozo, dégât.*

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

## De Lucretio II 42-43

Lucretius, cuius carmen «de rerum natura» Cicero emendatum edidit, variis descriptionibus praezellit.

Ut exemplum afferam: in libri secundi versibus 40-46 poëta partem vitae militaris hoc modo (secundum Teubnerianam 1934) exprimit:

- (40) «si non forte tuas legiones per loca campi
- (41) fervere cum videas bellum simulacra carentis,
- (42) subsidiis magnis [et ecum vi] constabilitas,
- (42 a) fervere cum videas classem lateque vagari
- (43) ornatas armis [šlattas] pariterque animatas,
- (44) his tibi tum rebus timefactae religiones
- (45) effugient animo pavidae mortisque timores
- (46) tum vacuum tempus lincunt curaque solutum.»

In versibus 42 et 43 verba uncis quadratis inclusa lectorem criticum offendunt; codices enim manu scripti alia vocabula ibi exhibent, quorum formae depravatae nunc tandem corrigi possunt. Ultimi autem editores Lucetii, qui in utroque versu sanando erraverunt, sunt:

Versio latina opusculi *Livret explicatif des Tableaux Delmas*, editorum licentia prodit: jura proprietatis vindicantur

1. Hermannus Dicks (Berolini 1923) et
2. Josephus Martin (Lipsiae 1934).

Quia hoc loco de re militari agitur, methodo postulatur, ut Vegetius ad verborum emendationem accessatur, utpote qui librum «de re militari» scripsit et eius auctoritas ut Romani antiqui summi momenti sit ad quæstionem solvendam.

In versu quidem 42 codices habent «Epicuri» quod nomen editores Munro secuti haec forma reddere solebant: «et eum vi». Nomen «Epicuri» certe in hoc contextu sensu caret, quia nulla ratio inter legiones Romanas et philosophum Graecum intercedit. Sed Lucretius «Epiri» scripsit, quod breviandi causa «Epiri» exaratum et a scriba quodam ad «Epicuri» formam falso amplificatum esse videtur, qui scriba in toto carmine præcipue de Epiero ipso sermonem esse temere opinabatur. «Epiri» autem vera emendatio est, quae his rationibus nititur:

1. Epirotæ fortissimi milites erant et auxilia exercitus Romani adhiberi solebant, cf. VEGETIUS: *de re militari* I 28 (= p. 29, 1a Lang); «nonne Epiri armis plurimum aliquando valuerunt?». In Epiro (i. e. Ηπειρος, quæ regio hodie «Albania» vocatur), etiam nobilissimus ille rex Pyrrhus, Romanorum vitor, natus erat.

2. Praeterea equi Epiri magni aestimabantur, ut idem Vegetius «mulomedicina» III 6, 3 (p. 249, 19 Lommatsch), III 7, 1 (p. 251, 13 Lommatsch) refert.

3. Conferatur omnino: *Onomasticon totius latinitatis*, ed. Jos. PERIN (Patavii 1913) 1, 543:544.

Unde Epirum pedetrem et equestrem magno subsidio exercitu Romano fuisse cluet. Quare efficitur vocem «Epiri» optime et unice in contextum militarem, praesertim ad vocabulum «subsidiis» quadrare. Lucretii porro est, non raro nomina geographicæ adhibere, quo modo dicendi res distindius exprimitur et vividius pingitur; propterea «Epiri» pro lectoribus poëtae aequalibus clarissimum et efficacissimum erat.

Eodem duce Vegetio etiam versum 43 emendabimus. Praeter legiones earumque subsidia Epirica Lucretius mentionem classis facit. Quae classis ut multitudo navium ex multis singulis parvis lintribus (i. e. vehiculis marinis) componitur. Illud substantivum plurale, cuius reliquiae adhuc in hac forma «(ita) statuas» existant, significare debet singulas classis unitates. Vegetius nominat hujusmodi naviculas «seafulas». Nihil aliud nisi «seafulas» Lucretium ipsum in hoc versu scripsisse palaeographia ostendit; nam ex forma SCAPVLAS primo SCATVLAS, deinde STATVLAS, postremo STAVLAS evasit. Vegetius autem nobis omnino persuadet tantummodo «seafulas» ad versum nostrum militarem covenire.

Forma enim diminutiva («seafulas») metri necessitate et Lucretii consuetudine flagitatur, quae idem ac «seapha» significat. Glossaria Latina jussu Academæ Britannicæ V (Paris 1931) 119 explicant: «seapha; navicula modica». Unde vocem «statuas» (i. e. ὀλυδδας) ob vim et sensum nominis, ob terminologiam non militarem propterque palaeographiam plane improbandam esse patet; cf. VEGETIUS «de re militari» (Lipsiae 1885 ed. Carolus Lang) III 7 p. 81, 5 ubi «seafulas» describitur et IV 46 p. 165, 4. Quae vox «seafulas» in versu 43 ponenda et quaelibet alia rejectanea est.

Postremo versus feliciter corretti (II 42 et 43) sic sonant:

(42)    subsidii magnis Epiri constabilitax...

(43)    ornatas armis seafulas pariterque animatas.

Lucretius duobus illis verbis, qui in plerisque editionibus adhuc omittebantur, manifestat se tam perspicue, tam vere, tam perite rebusque sui temporis tam adaequate scribere velle, ut res ipsas ante lectoris oculos ponere videatur.

EMIL ORTH

# Commercium epistulare

*Andreas Avenula (Avenarius qui fuit) S. V. D. presb. Joseph Mirio suo  
C. M. F. plurimam salutem.*

Quam sero etiam illae litterae redditae sunt, XVII scil. kal. jan., quas pridie kal. sept. hoc est sextili mense, dedisses; cum nimium jam diu itinera non modo hominibus, sed etiam epistulis eorum obstruēta essent nequedum pateant.

Paucis autem lineis tuis varie affectus sum animo; et primum quidem sum gavisus et te et ex illis fratribus tuis quosdam conservasse per annos coacti silentii recordationem mei illorumque interesse quemadmodum Avenula valeret, deinde intellexi Pelleterium illuc perlatum esse mandatumque typis, et te memorem, ubi licuisset, exemplaria PALAESTRAE subministraturum esse.

Minus gratum est, quod me hortaris ut de Tullio elucubrationem illuc curarem preferendam; nam video non esse, quam abhinc duos fere annos ad vos dedissem, vobis redditam, et quod nullam facis mentionem illius commentationis, quam eodem fere tempore per procuratorem vestrum urbanum ex via Julia urbis hujus ad PALAESTRAM misi de «billardario ludo», non inutilem, ut opinor, iis qui perpetuo in re qualibet linguae latinæ usu assuescere studeant. Quae mea tributa vel «mercedes PALAESTRAE» si intercepta in via sunt vel exciderunt, etsi non irreparabilem fecimus jacturam, utpote qui, tam infestis praesertim temporibus, earum rerum omnium machinaria retineamus exemplaria, tamen doleo et quod nondum inserta PALAESTRAE sunt, sed adhuc in postali aliquo dormiunt officio, et quod satis magnum numerum horarum postulabit eorum transcriptio. Sed quando tuto dabimus? quam diu etiam hae litterae, si modo perforantur, remorabuntur in via?

Quod salvas et incolumes volebas res meas: scito etiamnunc bene satis esse amico tuo, quamquam interdum mihi in mentem venit dololorum metallicorum, quae circiter annum trigesimum saeculi videbam in Bavaria oleo olivarum plena hispanico...

Satis saepe anno superiore fui cum vestro P. Schwientek et vidi, non ruinas vel potius aream aedificii vestri quod Albani quondam stetit, sed Albanum ipsum cum dolore vidi semidestrutum; narrare possum etiam satas circum collegii nostri, Societatis Verbi Divini, domum, stationi ferroviariae Ostiensis tam vicinam, bombas viginti sex incolumi fere domo non sine divino praesidio, et nostrum trium mensium exsilium; sed quod non eram historiam horum temporum scripturus sed brevem ad te datus epistulam hic meum posui salve valeque in hunc, praesertim jam mensem fere currentem, annum.

Romae.

*Josephus M.<sup>a</sup> Mir C. M. F. Andreea Avenario S. V. D. sal. pl.*

Tandem vocem tuam audio, carissime P. Avenari; sed nescio quo pacto factum sit ut et vox et nomen imminuta sint. Ergo Avenarius noster, qui nobis in deliciis

eras, qui PALAESTRAE LATINAЕ pagellas amoenitate, suavitate, pura latinitate ornaveras, nunc imminutus et nomine et scriptis *Avenula* tandem fies? quae igitur est ista immutatio? Nescis forte amicorum gratissimam recordationem et amorem atque sinceram in magistrum reverentiam nec temporum varietate nec locorum separatione minui unquam posse? Nisi ergo rationem mutationis exprimas veram, mihi atque PALAESTRAE lectoribus non *Avenula*, sed exspectatissimus *Avenarius* es, ut fuisti, atque deinceps eris.

Litteras tuas jam pridem —exeunte mense januario— scriptas arbitror, cum et epistula climi. Professoris Aemilii Orthi die 21 m. februarii data tuis adjungetur et sigillum postale die 19 m. martii inscriptum perquirendo legerem. Quare cum plures jam dies inde elapsi sint, amplius responsonem demorari nolui et quamquam fasciculi PALAESTRAE ut ad manus redderentur optaveram ne tamen diutius anxius exspectes per cursum postalem hoc ipso die ad te misi hancque ut evolaret citius epistulam cursui postali aero tradidi. In *Palaestrarum* fasce duo tresve numeri desunt quos ad manus non habeo, cum Administratio commentarii Barcinone sedem habeat, quos tibi posthac mittendos curabo.

Tuum de *billardo* scriptum atque «mercedem» in PALAESTRAE n.<sup>o</sup> 89 editum leges cum carmine in Angelum Custodem (in n.<sup>o</sup> 85) totamque de *Pelleterio pueri* bellissimam narrationem. Quadam quasi latinitatis religione seu reverentia obstrin-gebar quominus et *billardum* et *billardarium* et *carambolum* admitterem verba in latinum inducenda, quae tamen, modo prorsus non displicant.

Omnia igitur a te missa, vulgata sunt: tributa vere magna quibus solvere ac rependere grates unquam poterimus.

Tuae de Tullio disquisitiones ex «Alma Roma» habeo; sed alias forte narrations ac rerum eventus tuo et sermone et stilo illustratas verius exspectabo...

Nubila discindat Dominus quae caelum patrium —seu melius aliarum civitatum— obnubilant ut vera pax cordium oriatur atque splendeat... oleumque illud nostrum et vos inungere et alere et laetificare rursus possit. — Si nos amas, valitudinem tuam cura diligenter. Amicos salvere jubebis.

Barbastro. XVIII Kal. majas.

## Ego... non sum ego

(*Ebrius, Caupo, Potatores, Marcus cum filio*)<sup>(1)</sup>

EBRIUS. — (*vacillans intrat tabernam vinariam*). Dictabant heri in foro me esse mortuum... tamen vivimus, et hic sumus salvi, et ample sumptum facimus...; (*cauponi*) transfer huc

cum vino cādūm, ut hinc demam quantum volo... quia me vocant multibūni, oportet me bibere; quia sum merobibūs, potus poto iterum.

CAUPO. — Quot cyāthos usque adhuc?

(1) Ex opere *Roma antica da viciao*, p. 207, Palermo, Sandron. Hunc lepidissimum dialogum edimus, non quasi multibibbos laudantes, sed ut lectores et sermonis elegantia et jocoso ludo gaudent.

**EBRIUS.** — Quot effundi potuerunt in barathrum (*singeantem ventrem sibi icit palma*); quod est mirum, mehercule, nam hic discordum sit concordia semper... quae nuper potavi in convivio, Caecubum, Chium, Massicum, Faiernum, nunc intus se colloquuntur amice (*degustans*)... optimum! qui sic ebibit, habet voluptatem magnam et proximam diis, qui quoque, ut fama est potatores maximi fuerunt... Bacchus, quia bene potavit, inter deos relatus est

**POTATORES.** — (*ex ima taberna*) Vinum facit ingenium. Iste, ni fallor, potis est Massiel montis quattuor vindemias uberrimas ebibere in una hora.

**EBRIUS.** — Pulchre, mehercule, dictum atque sapienter! quis es tu, qui tam lepide fabulatus es? quia verum praedicas, volo ut tecum potes illico... (*porrigit ei cyathum*)... quin bibis?.. accipe, inquam... bibendum est... quod est tuum nomen?

**POTATORES** - Pomponius.

**EBRIUS.** — Ergo, quot litteris constat nomen, tot jubeo te de cado haurire cyathos... (*attollens cyathum*)... proprio tibi hoc magnum poculum... bene mel! bene te! bene omnes! (*ad cauponem*) tu autem, mi caupo, quia bonus es et etiam pauperioribus ministras optimum, hoc vetere solito que imple hanc lagoenam, quae volo sit mihi comes in via meque oneret hilaritudine, dum me referam cubitum.. (*cum lagoena exiit*) nunc valete omnes miserrimi, qui aut male aut minus bene bibistis.

**MULTI.** — (*ex ima taberna*) Abi in malam crucem!

**EBRIUS.** — Abeo (*abiens*), sed hac, quae est brevissima, et qua possum ire commode. (*secum ipse*).. nunc ambula.. si satis plane oculis video, domus hinc longule est... ambula! ambula!.. fac, quaeso, quod jussi... manes? quid hoc rei est?... siccine hoc fit?... (*vacillans*) statisne, pedes, an non? nam, si cecidero, tota culpa

vestra erit... an vultis, ut hinc me jacentem tollat aliquis? papael... (*aliquanto post*) aut vos hinc me tollitis, aut ego tollo vos .. (*se colligens*) magnum est hoc vitium vino quod primum captat caput, deinde pedes... quod captat caput, hoc non puto esse pessimum malum, nam multi carent capite et vivunt pariter, at si vacillant pedes, qui sit, ut ipse revertar domum?.. visne paululum subbibere, ut sis valentulus? (*lagoenam quaerit*) ubi, ubi est? .. (*laetus*) prope me est .. est... est... (*labra admöret lagoenae*). Salve, mi ante, lepos Liberi: ut sum veteris cupidus! ut bene oles naribus meis! tu mihi lillum, tu rosa, tu casia, tu crocium!.. da meo gutturi gaudium, et intro dulciter labere, et intus per praecordia subsiliens tuos jucundissimos fratres saluta... (*alloquitur vacillantia crura*) pergitisne nunc pergere? vultisne me cadere?.. heu me miserum!.. cadam... cado... cecidi...

**MARCUS.** — (*casu*) Quis est hic, qui se miserum praedicat?.. heus, tu quis es quem video jacentem istic?

**EBRIUS** — Romanum rosa coronatum civem.

**MARCUS.** — Quid agis istic?

**EBRIUS.** — Cymbula vehor, et navigo... navigo... caelo sereno et stellis distincto.

**MARCUS.** — (*filio*) Non in mari, sed in vino iste navigat... (*ad ebrium*) at quae audacia tibi haec est, ut noctu cum corona sic incedas ebrius? nonne vides ut madide madeas, improbe?

**EBRIUS** — Ego ma... ma... ma... ma... di.. dus?

**MARCUS.** — Madidus, ut videris, et probe madidus.. atque unde solvisti vino tam onustam navem?

**EBRIUS.** — In Olimpo cum Jove perpotasti modo.

**MARCUS.** — Hic non solum madet, verum etiam insanit... (*filio*) vis arcessam homines, ut eum referant do-

mum?... (*ebria*) ubinam urbis' habitas?

EBRIUS. — Post forum in via dexteriore, quae dicit ad vinculum Miseriae, *septima* porta.

MARCUS. — Quod sciām, nullus est hoc nomine viculus Romae... dic, quae-  
so, quod est tibi nomen?

EBRIUS. — Quod edepol convenit homi-  
ni probo.

MARCUS. — Libet audire.

EBRIUS. — Mihi est nomen... nomen...  
nomen... (*aliquanto post*) atqui erat  
modo mihi in primoribus labris ...  
Cest principium nomini.

MARCUS. — Curtius, Caecina, Caecilius,  
Cornelius?

EBRIUS. — Nihil agis; hoc enim fit, ut  
quod sit nobiscum semper, fugiat  
repente... (*capite demisso terram in-*

*tuetur*) mane erat mecum... nuper  
accubuit mecum... post venit me-  
cum potum... (*reminiscens*) ah!... re-  
miniscor equidem .. illud reliqui in  
caupona.

MARCUS. — (*ludificatum se credens*) Quor-  
sum velis, naviga... (*filio*)... absen-  
tem laedit cum ebrlo qui litigat.

EBRIUS. — (*intensissima voce clamat*) Ohel  
phel si illud inveneris .. Inter cya-  
thos .. afferto huc.

MARCUS. — (*e longinquuo impatienter*)  
Quid?

EBRIUS. — Nomen, edepol, nomen... (*se-  
cundum ipse submissa voce*) nam hoc est  
vitium vino... primum captat caput,  
deinde pedes... nunc etiam nomen...  
ergo? (*tristiculus*) ego... non sum ego.

PASQUETTI

## BIBLIOGRAPHIA

*Bibliotheca Comillensis. — Fontoy-  
nont-Armendia, S. J. — Vocabula-  
rio Griego, comentado y basado en  
textos.* — Ed. Sal Terrae, Santander,  
1944. — 20 pts.

En tibi methodus facilitate, brevita-  
te, amoenitate commoda et efficiens ad  
id, quod intimum et reconditum est in  
lingua graeca, assequendum

In octo fragmentis classictis, quae  
quindecim pagellas complectuntur, in-  
venies quingenta et tredecim vocabula  
primigenia. Post unumquodque fragmen-  
tum, in tres digestum columnas, voca-  
bularium prostat cum commentario. In  
quo voces derivatae continentur. Sic  
vocē παῖς — quae est prima — παιῶ et  
παιδεύω tantum subjicuntur; commode  
tamen, suffixorum sensu, viginti et  
amplius voces simplices intelleguntur,  
quas lexica produnt. Leges assimilatio-  
nis consonantium tradere aptissimum  
certe fuisset — sic enim inferius vocalium  
mutationes seu apophonia docetur —  
ita in omnibus derivatis radicale faciliter  
dignosceretur, ut παιδ- in παιγνιον, βαρ- in  
βάρημα.

Omnia, quae ex aliqua voce haurire

possunt, derivata nunquam proponuntur; raro magna radicis copia in deriva-  
tione explicatur, atque verba composita  
et communes voces ut ἄνθρωπος, χεραλή de  
industria omittuntur.

Vocabularium finitur centum quin-  
quaginta vocibus primigeniis, quae in  
excerptis classicis apparuerunt atque  
quarundam vocum producta explicatio-  
ne ut λόγος, ἀρετή, σωφροσύνη, μηδῆ, ἀταν, κίσ-  
μος, μέτρον, κτλ. quae græcorum ingenium  
aptissime commonstrant. Summa quo-  
que syntaxis: reglmen, conjunctiones,  
subordinatio, lectorum animis commen-  
dantur.

Illud tamen desideravimus, comple-  
xum rerum et legum quae, quasi pertur-  
bato ordine nec tamen inconcinne, in  
commentario traduntur; (nam sufficere  
non videntur indices et rerum et littera-  
rum ordine dispositi sine interpretatione  
hispanica), atque vocabulorum hispani-  
corum elenchum quae græcam habent  
originem.

Qui morphologiam græcam et syn-  
taxis summam noverint, ex hoc opere  
commoda et utilitates plurimas certo  
haurient.

A. P., C. M. F.

# Exercitationes Scholares

## DE LITTERARUM LATINARUM ORIGINE (1)

Serius tamen exstiterunt apud Graecos studia litterarum: quod inter Argos et Athenas conditas urbes et Homerum, nongenti fere anni interfuerunt (M. MARTÍN), in quibus nullum litterarum apparuit vestigium (A.E. ROURA). At contra Romani celerime ex agresti vita ad humanitatem exculti sunt, impulsi a Graecis, qui Romanorum armis vieti, viatores ingenio subegerunt. Nec minus celeriter litterae processerunt a primo ortu, usque ad robustam quamdam ac solidam maturitatem (A. FRADERA), centum et quinquaginta fere annis interiectis inter Andronici aetatem et Ciceronis (A.E. ROURA).

Sed apud Graecos serius exstant litterarum studia: nam inter Argos et Athenas conditas et Homerum, nongenti fere anni intersunt (S. FOIX), in quibus nullum appetat litterarum vestigium (J. CODINA). At contra Romani celerime ex agresti vita ad humanitatem excoluntur, auctoribus Graecis, qui Romanorum armis vieti, viatores ingenio subigunt (M. MARTÍN). Nec minus quidem celeriter (L. BAQUERO) procedunt litterae a primo ortu usque in robustam quamdam ac solidam maturitatem, interiectis centum et quinquaginta fere annis, inter Andronici aetatem et Ciceronis (M. MARTÍN).

## MYOPS (1)

Myops quidam, iter faciens, viam nesciebat. Prope stratam forte corvum conjectans in oblongo sepulcri lapide sedentem et hominem ibi stantem existimans, eum de via saepe interrogabat. Sed cum post aliquid temporis ex lapide corvus evolaret, myops lapidi: «mihi —inquit— de via interroganti respondere noluisti, nunc autem de galero quem tibi ventus abstulit nec ego commonebo».

Notae: (1) Cfr. PALAESTRAM LATINAM p. 96, 132. (2) Optime compositiones verterunt Dni. Antonius Fradera, Marianus Martin et Aemilius Roura; alii etiam ex discipulis bene adlaborarunt, quique proximis exercitiis PALAESTRAE non deerunt.

## SEPTIMI GADES

(HORAT. Carmin. 2, 6)

Bien sé que a Cádiz, mi Síptimio, irías  
y a la Cantabria y a la Sirte Libia  
y al africano mar furioso que arde  
siempre con ira.

¡Ojalá Tibur por colono argeo  
fundada, sea mi descanso y sede!  
Que guerras, mares y viajes largos  
cásanme mucho.

Préstale el cielo primavera eterna,  
tibios inviernos y viñedos fértiles,  
vinos que al zumo de la vid falerna  
Baco prefiere.

En este sitio hoy a gozar te invita  
el tierno vate hasta que tú sus leves  
tibias cenizas con debido llanto,  
Séptimo, riegues.

CARLOS SUÁREZ  
Seminario de Corbán (Santander)

# Compositiones vertendae

PRO ALUMNIS SUPERIORIBUS

## III. — Honradez de C. Fabricio

Cum Samnites C. Fabricio Imperatori dono grandem pecuniam obtulissent orassentque, ut acciperet, id facere<sup>1</sup> dixerunt, quod viderent multa ad splendorem domus atque vi<sup>t</sup>us deesse neque pro amplitudine dignitateque lautum paratum<sup>2</sup> esse. Tum Fabricius planas manus ab auribus ad oculos et infra deinceps ad nares et ad os et ad gulam atque inde porro ad ventrem deduxisse fertur et Samnitibus respondisse, dum illis omnibus membris quae attigisset obsistere atque imperare posset, nihil unquam defuturum:<sup>3</sup> propterea se pecuniam, qua nihil sibi esset usus,<sup>4</sup> ab his, quibus eam sciret usui esse, non accipere.

NOTULAE: 1. *se.* — 2. *paratum es* sustantivo. — 3. *sibi.* — 4. Compárese la frase *mihi usus est aliqua re con aliqua re mihi opus est.*

3. — En cierta ocasión el médico de Pirro escribió al cónsul Fabricio una

carta en que le prometía envenenar<sup>5</sup> al rey. Fabricio remitió la carta a Pirro, aunque sin descubrir<sup>6</sup> al autor (de la misma) indicándole<sup>7</sup> que no se fiara<sup>8</sup> demasiado de los que le rodeaban. Pocos días después, descubierta la conjuración,<sup>9</sup> Pirro mandó crucificar<sup>10</sup> a su médico y devolvió a Fabricio un buen número de cautivos *sin exigirle rescate.*<sup>11</sup> Fabricio envió a su vez a Pirro igual número de prisioneros, indicándole<sup>12</sup> al mismo tiempo que no le había puesto al tanto<sup>13</sup> de lo que contra él se tramaba<sup>14</sup> no precisamente por él, sino para que nadie llegara a sospechar<sup>15</sup> que los romanos pretendían deshacerse<sup>16</sup> de su enemigo capital por medios inconfesables<sup>17</sup> como sino pudieran vencerle con las armas.

NOTULAE: 1. *veneno necare.* — 2. *prodere.* — 3. *jubere.* — 4. *cavere sibi ab aliquo.* — 5. *insidiae, arum.* — 6. *in crucem agere.* — 7. *gratis* — 8. *significare.* — 9. *poner al tanto, indicium facere.* — 10. *agi.* — 11. *videri.* — 12. *trad. los dos verbos por uno solo:* se deshacían, eliminaban. — 13. *dolis et insidiis.*

CHOCOLATES ORÚS - ZARAGOZA

LOS MEJORES DEL MUNDO

Marca de la Casa: Escudo de la Virgen del Carmen


No busque otros. Los mejores del mundo

CHOCOLATES ORÚS - ZARAGOZA

# CURIOSA ET JOCOSA

## 149. — CRUCIGRAMMA

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11



**IN TRANSVERSUM:** A) Praepositio. — B) Delabimur. — C) Pronomen personale. Femininum pronominis possessivi. Moneta. — D) Situs (*Genit.*) Avis. — E) Donat. Homo. — F) Oblongus. Contio christianorum prisorum. — G) Incende. Industria. Adv. quantitatis. — H) Tusciae flumen (*genit.*) — I) Annuet (*verbum priscum*) Emptus (*ablat.*). — J) Aspera — K) Benigne. — L) Diphthongus. Moneta.

**AD PERPENDICULUM:** 1. Pronomen pers. — 2. Qui refrenandi sunt. — 3. Scindere. — 4. Et. Proficiuntur. Ex aere facta. — 5. Conjugem accipo. Nota musices. Litterae vocales. — 7. Carmen. Comes. — 8. Coniunctio. Mons Asiae (*dat. pl.*). — 9 Nomen feminiae (*acus. pl.*). — 10. Raptore. — 11. Atque.

I. ORTIZ GARCIA.

*Salmanticae, in Aspiratu Mgti Avilae.*

**150. —** Quidam medicus medicamentum praescripsit aegroto, quod molestiam magnam afferebat.

—Nescio, ait ille, quomodo illum sumere incipiam; quia primo haustu omnia expellam.

—Omitte primum ergo, ait medicus, et a secundo incipe.

EMMANUEL CARRA. C. M. P.

*Barbastri*

**151. —** Pauci sentiunt artem musicam ut ego.

—Certene?

—Quadam die me contuli in theatrum qui «Rigoletto» audirem, et cum scaena in procellam devenisset, laboravi rheuma

MICHAEL MIALET. C. M. P.

*Barbastri.*

## AENIGMATA

**152 —** Nullus eum deflevit, sed primam aufer syllabam, omnesque ipsum amare flevere: deme et alteram et quasi luctus erit; denique duabus, constans, syllabis a REOR provenit.

—Quis?

EMMANUEL PELÁEZ.

*Alumnus I curriculi amplioris latinitatis in Seminario Vallis Del in Asturia.*

**153. —** Peram teneto, nam veniunt duo ad te, parati, ferre pecuniam.  
Sed fac ut hic post alterum stet quodque sues comedunt habebis.

**154. —** Graeci eum clipeum;  
colubrum dixere latini.

**155. —** Garrula sum volucris  
Frontem mihi sigmate adauge  
maturae segetis culmina summa nota.

## 156 — RHOMBUS ARITMETICUS

Venit	74
Imperator Romanus	3268
Scriptor Latinus	171268
In exercitu romano	12345678
Avis	456456
Locativus usitatissimus	6577
Coniunctio	24

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Prov. Ilerdensi